



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1572 usque ad annum 1581

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118642

§. 67. Spinosæ Cardinalis obitus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67232)

niæ Regem rogabat, ut ex suis subdi- Sæcul. XVI.
tis probatorum nomina sibi designare A. C. 1572.
velit, quatenus postmodum eorum me-
rita digno præmio compensare valeat.

§. LXVI.

Duo Nepotes in Cardinales nominati.

Postea ex suis Nepotibus duos sacro Ciacon. p. 45.
Cardinalium Collegio adscripserat, et 46.
ut cum eis Universæ Ecclesiæ sollicitu-
dinem partiri posset: porro eorum pri-
mus erat Philippus Boncompagnus, qui
die secunda Junii hoc anno Domini mil-
lesimo quingentesimo septuagesimo se-
cundo purpuram obtinuit, ac Cardina-
libus Presbyteris accensitus fuit sub
titulo sancti Xysti, qui etiam ab eodem
Pontifice Major Pœnitentiarius est re-
nuntiatus. Alter erat Philippus Gua-
stavillanus unicus ex Gregorii XIII. So-
rore Filius, quem Papa nonnisi anno
sequenti Mense Julio Cardinalem Dia-
conum titulo sanctæ Mariæ Novæ, ac
sanctæ Romanæ Ecclesiæ Camerarium
nominabat.

§. LXVII.

Spinosa Cardinalis obitus.

Hoc anno tres Cardinales mundo va- Ciacon. t. 3.
ledicebant, quorum primus erat pag. 1031.
Didacus Spinosa natione Hispanus, ac Aibery vie
Petri Spinosa filius, qui absoluto Ca- des Cardi-
noni- naux.

Sæcul. XVI. nonicæ, ac civilis jurisprudentiæ studio utramque scientiam adhuc juvenis in Salmanticensi Universitate, imo & Complutensi, prout nonnulli referunt, publice professus ingentem eruditionis suæ laudem sibi comparabat: eapropter a Philippo II. ob explorata ipsius merita Castellæ Præsidem, necnon supremum totius Hispaniæ Inquisitorem agere jussus primo Serguntizæ Episcopus, demum a Pio V. Mense Martio Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo sexagesimo octavo Cardinalis nominabatur, quamvis nonnisi quatuor annis cum semestri purpura frueretur, vita functus Madriti feria quarta die quinta Septembris hoc anno: porro corpus ejus ad vicum Martini-Mugnoz in veteri Castella, ubi natus erat, delatum est. Fertur, quod post Didaci Cardinalis obitum, cum Philippus secundus Rex Hispaniæ Regni sui urbes inviseret, & per prælatum vicum transiens Missæ sacrificio interesset in ipso Sacello, in quo hujus Cardinalis ossa servantur, re divina peracta filium sic affatus fuerit: „Hic jacet ministrorum, „quos habui optimus.„ Enimvero Spinoza æquitatis studiosissimus omnes judices, qui sordidum quæstum exercebant, severe castigabat, præcipue vero ex pluribus, quibus inclarescebat virtuti-
bus

bus, in eo enituit humilitas, ac singularis paupertatis amor, necnon animus a proprio quæstu summopere alienus, quarum virtutum splendore sibi etiam omnium venerationem conciliabat.

§. LXVIII.

Cardinalis Hieronymus de Corrigo mortuus.

Alter erat Cardinalis Hieronymus de Corrigo Filius Gilberti hujus nominis tertii, qui secundis nuptiis Veronicam Gambaram, quæ sui ingenii acie, ac virtutibus ævi sui Matronas longe superabat, sibi matrimonio junxerat, duosque ex ea susceperat Filios, quorum primus nominabatur Hypolitus anno millesimo quingentesimo quinquagesimo secundo vita functus, alter vero Hieronymus, cujus nunc mentionem facimus. Hic Bononiæ studiis operam navans demum sub Pauli III. Pontificatu Romam pervenit, atque ab eodem Papa Anno Redemptionis nostræ millesimo quingentesimo quadragésimo Sedis Apostolicæ Nuntius in Gallias decernebatur, ut Francisco I. ob præmaturam Filii sui Aurelianensis Ducis mortem Pontificem maximo dolore affectum significaret. Mortuo Paulo IV. Hieronymus aliquamdiu cum Cardinale Alexandro Farnesio Pontificis

Sæcul. XVI.
A. C. 1572.

Ciaccon.
pag. 942.
Bon. Angli
in hist. Parmensi
Aubery l. c.